



VALETVDINE.

102

dit. Auicenna ibidem. Quando, inquit, administra-
tur piper in electuarijs, est conueniens tussi & do-
loribus pectoris. Tertia est, piper album conue-
nire dolori, id quod intelligi potest uel de dolore
pectoris, quemadmodum iam dictum est ex Auicen-
na, uel de dolore uentoso. Auic enim omne piper con-
uenit, siquidem omne piper ob excalfaciendi facula-
tatem uentositates discutit & expellit. Auicenna
ibidem dicit, piper album & longum conuenire do-
lori uentris pungituo, si bibatur cum melle & folijs
lauri recentibus. Quarta est, conuenientissimè
exhiberi ante motum febris, id est, accessionem si-
ue paroxysmum, & hoc in febris frigida. In huius-
modi enim piper materiam quodammodo calfacit
& digerit. Quinta est, piper album in rigore fe-
brium plurimum ualere, quia caliditate sua con-
fortet neruos, & materiam in eis sparsam consu-
mit. Auicenna ibidem sic inquit: Fricando fit in-
unctio ex ipso cum unguento, & confert rigori.
Et hæc quinque utilitates, non minus & alijs pipe-
rum generibus conueniunt, ut ex Auicenna liquet.
Præterea uerò, adeo piper calfacit neruos & lac-
ertos, ut in hoc non habeat sibi par, mundificat
pulmonem: parua quantitate sumptum, prouocat
urinam, magna uerò, soluit uentrem. Auicenna ibi-
dem. Est porro triplex piperum genus: album, long-
gum, & nigrum. Fructus florentis aut germinan-
tis etiam dum arboris longum dicitur piper. Fru-
ctus